

1426 quatuordecim equitum millia, peditum vero decem fuisse traduntur: ac præter Carmaniolam ipsum, penes quem erat totius summæ imperium, viros illustres Joannem Franciscum Gonzagam, Lodovicum Severinatem, Paulum Ursinum, Alovisium Vermium, Laurentium Contoniolanum, & sub Nicolao Tollentinate plerosque viros, qui magna claraque ad eam diem fecerant stipendia. Maxima pars peditum aggeris præsidio est imposita, in quibus quinque sagittariorum millia fuisse memorant: illudque imprimis edictum: si Imperatorem ipsum cum omnibus copiis ab hoste circumventum, auxiliumque ab eis orantem viderent, scirentque se imminentem cladem facile propulsare posse, ne aliquo modo sua statione abscederent; sed intenti ad omnes hostium incursus, diligenter prospicerent, ne quid detrimenti eorum negligentia circa vallum caperet Respublica. In hostium castris decem equitum millia, atque peditum octo fuisse dicuntur, præter mille & quadringentos pedites, quos ad arcis & civitatulæ præsidium Franciscus Sforcia reliquerat, quum sub Pergulani accessu in amica castra transiit. Præerant peditibus, qui intra munitiones relictæ erant, centuriones quatuor patrio cognomine illustres, Brixianus, Placentinus, Bergominus, & unus adhuc notior, Andreas Taurisinus. Hos Carmaniola hominum multitudine fretus assiduis certaminibus fatigare, nunc scalas muris, nunc vineas aliaque opera bellica admove: certus, si alia ratione non posset, eos assiduæ oppugnationis specie sagittariis (quorum copia ingens in castris esset) conficiendos objicere, donec ad eam paucitatem redegisset, quæ facile esset a suis superabilis. Nec destinata hostium clades fefellit illius animum: ad mille & amplius sagittis brevi aut confecti, aut omnino debilitati sunt. Sed ne sic quoque, centurionibus salvis, hostes ex pristina ferocia aliquid remittere. Disjecerant assidui tormentorum jactus magnam murorum partem, ita ut fossæ ruinis pene oppletæ essent, vel maxime circa portam, quam Gargetiam vocant. Quoniam igitur apparebat, admotis scalis, facile ea parte militem, si paululum adni-